Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

De tempore vitæ vel obitus S. Florini facit, ut vides, n. 4.
Proprium Curiense. Walafridus Strabo in vita S.
Othmari, refert, hunc Sanctum a Victore Rætiæ Cu-
riensis Comite cuidam Ecclesiæ titulo S. Florini Con-
fessoris prælatum esse ~~Qui et~~ tempore Caroli Martelli.
Unde diu ante Florinus vixisse debuit, ut qui tunc
jam suo nomini dicatam habuerit Ecclesiam. Verum
an ea Florino Amatiensi fuerit dicata, an ~~alteri~~
cuidam Florino antiquiori; ~~non omnino certum.~~
dubium: id vero certum est, Florinum nostrum A-
matiensem ante seculum X floruisse; quia anno 930,
teste Sprecherо Chron. Ræt. l. 2, et Gulero l. 8, vixit in
Engatina Rætia, Comes Bertholdus, consanguineus
Valdonis Episcopi; ut habet instrumentum, Francofurti
datum: ubi Henricus Imperator ad instantiam Rudolfi
Comitis, Ecclesiam in pago Sindes in Entiadina, in Co-
mitatu Bertholdi, cum decimis et omnibus suis juribus,
donat Sancto Florino; cujus corpus Eremusii ibidem
quiescit. Hæc donatio facta videtur post elevati-
onem corporis S. Florini. Ante enim ~~fuit~~ tumulus
ejusdem ~~tum~~ ex metu vicinorum, quos deceperant,
Amatiensium, ~~tum ex oblivione negligentia, non ita~~ adeo non
frequentabatur, nec ~~adeo~~ celebris erat, ut etiam in
oblivionem abiret. Quare vita et obitus S. Florini ad
~~ad ultimum~~ medium seculi IX ~~differri non potest~~ saltem, si non ad anteriora tempora,
referri omnino debet. Cultus S. Florini ab ejus
translatione ~~ad hodiernum~~ usque, ~~ceum~~ in Valle
Venostica, in Engadina, totaque diœcesi Curiensi
maximus semper fuit, et est hodiedum; prout ex
Proprio Curiensi supra advertimus. Festum ejus in
choro et foro celebratur solennissime die XVII Novem-
bris. Reliquia quorsum devenerint, Calviniano fu-
rore Heremusiam Engadinam occupante; mihi non
constat. Aliquas in templo parochiali Amatiæ
servari dicunt. Sed fortasse non alia sunt quam vestes
illæ ab Heremusiis suppositæ. Est et alia Ecclesia Ama-
tiæ D. Florino sacra, in qua saxum ostenditur, super
quod natus ~~est~~ fuisse fertur. Cæterum de Ama-
tia Valle, Castro et ~~Villa~~ pago, sæpius ~~differendi occurret~~ veniet
occasio differendi.